

* Exod. 14. 10. 11.

a V. 15. Quid clamans ad me?

b Exod. 14. 16. Eleva virgam tuam, & extendens manum tuam super mare, & divide illud. Vide & V. 22.

c Exod. 15. 8.

d Psal. 77. 13. e Psal. 113. 3. 5. Mare vidit, & fugit &c.

f Isai. 63. 11.

g Habacuc. 3. 8. 15.

in fronte habebant pelagum animadvertentes, deficere animis, atque omnem de salute spem abicere ceperunt (*). Sublato proinde in Ducem murmure, atque Duce ipso ad Dominum confugiente (a), Deus, facta spe promptae liberationis, bono esse animo jussit; addens insuper, nunquam exinde commissurum, ut in conspectum populi venirent Aegyptii, se enim cum illis pugnaturum, Hebraeis interim quiescentibus.

Nec mora; jussu Dei elata à Moysse virgâ pelagus in duas partes divisus est, (b) stratisque hinc inde aquis, trajicientibus Israelitis via per alveum patuit: Erat enim aqua quasi murus à dextra eorum, & lava. Trajecit itaque populus, ait Moyses, per viam fluctibus, utrumque latus munientibus, septam, quod quidem ab illo semel, atque iterum in historia descriptum est, quasi de re magni momenti, olim in controversiam revocanda, ageretur. In Cantico verò, quod post illud memorabile factum cecinit, rem totam vividius depingit (c): Stetit unda fluens, congregata sunt abyssi in medio mari. Totam igitur Moysis historiam negemus, vel prodigium illud, nulli inter cetera Veteris Testamenti secundum habeamus oportet.

Ceteri Sacri Scriptores, cum eâ de re agendum esset, nunquam nisi similes phrasas usurpant, quemadmodum & in Textu Judith supra observavimus, & in Psalmis non raro occurrit: Interrupit mare, & perduxit eos, & statuit aquas quasi in utre (d). Alibi etiam canit, recessisse mare ante conspectum Dei [e]; Deum sibi viam in pelago aperuisse, super aquas obambulasse, ne gradientis vestigia ulla superessent. Nec humiliori stilo utitur Isaias (f): Ubi est, qui eduxit eos de mari, cum pastoribus gregis sui? Scidit aquas ante eos, ut faceret sibi nomen sempiternum? Qui eduxit eos per abyssos, quasi equum in deserto non impingentem. Habacuc eâ de re obstupescens, ita loquitur (g). Nunquid in fluminibus iratus est Domine, vel in mari indignatio tua? ... Viderunt te & doluerunt montes, gurges aquarum transit, & dicit abyssus vocem suam ... viam fecisti in mari equis tuis in luto aquarum multarum. Hæcne, rogo, ideam ingerunt estus observati, atque captatae fluentium aquarum occasionis? At enim poetica sunt hæc, & per exaggerationem dicta. Esto; vera sunt tamen, nec nisi exprimendæ Mosaicae narrationi, quæ certè nec poetica est, nec mendicatis phrasibus expressa, conducunt. Porro hac Moysis narratione nihil planius, nihil magis coherens; nihil præferat ad genium viri, populi sui decora efferentis, nihil ad exaggerationem expressum; ut ejus stili historicum vera prodentem non obscure demonstrat. Quando, rogo, epithetum ullum sive laudis, sive vituperationis adjecit unquam? quando augendæ, sive imminuendæ virorum, sive rerum, de quibus agit, ideæ aliquid subjecit? Author tandem Libri Sapientia contrariam de estu maris captato sententiam penitus evertit, cum & in partes subitò

recessisse aquas, & utrinque stetit perhibeat; non enim in estu maris omnia momento peraguntur. Ait igitur Author (h): Deduxit illos in via mirabili, & transiit illos per mare Rubrum, & transiit illos per aquam nimiam: ait insuper: Ex aqua, qua ante erat, terra arida apparuit, & in mari Rubro via sine impedimento, & campus germinans de profundo nimio (i).

Hæc sanè phrasæ ubique apud Authores Sacros constantes, cum eorum opinione, qui à trajectione maris Idumæi omne abesse prodigium volunt, prorsus non quadrant. Apertiora S. Spiritus ipse per se prodit, vim totam prodigii nimis roborat, magisque tandem nostram ea de re admirationem extorquet, quàm ut quicquam de prodigio suspicemur. Quis enim sibi in animum induxerit unquam, in nostram deceptionem, atque fictum prodigium persuadendum Scripturas omnes ita conspiciat? Si verò prodigium fateamur oportet, quàm fieri potest, ut, levibus innixi conjecturis, ejus gloriam imminuamus? quis Deo plenam ejus rei gloriam, relatione Mosaicâ ad litteram acceptâ, inviderit?

Eja verò hanc hypotesim de estu maris observato contra prodigii veritatem funditus, si fieri unquam possit, evertamus. Neque in eam rem Erythræi estum omnem, quemadmodum à nonnullis factum est (k), negabimus; neque cum Diodoro Siculo (l) ejusdem estus statam singulis diebus periodum, tertiâ nempe, & nonâ horâ, (scilicet nonâ matutinâ horâ, & tertiâ post meridiem in equinoctio) asseremus. Quæ si vera essent, porro æstus opportunitatem, cum noctu fretum trajecerit, captare Moyses non potuit. Ultrò igitur fatemur, iisdem, quibus maria, cetera Oceano juncta, Erythræum æstibus agitari: quemadmodum & veterum Geographorum, atque Historicorum, tum & recentiorum Itinerantium consensu certum est; quare in examem revocandum superest, an fluentium aquarum opportunitate captâ Moyses exercitum trajecerit.

Intumescere sensim in estu pelagum, atque littori toto spatio sex horarum minacem imminere neminem arbitror ignorare. Dein per quartam horæ partem quiescit; aversoque deinde cursu & detumescere sensim, & à litore recedere pari horarum spatio vel ipsis oculis cernitur. Huic, quem refluxum appellant, quies per quartam horæ partem succedit; post quietem novus iterum fluxus & refluxus, ut singulis diebus, eodem semper tenore, quantum non eodem temporis articulo [serius semper tribus horæ quadrantibus ac minutis quibusdam] bis aque tumescant, detumescantque. Hæc de maris estu animadvertisse juvat.

Quod ad Erythræi estum spectat, qui rem sedulo examinarunt, Viri eruditi produnt (m), ejus aquas cum maximè in æstu resuunt, 250. vel 300. circiter passibus à litore recedere, ita ut imus fundus appareat; atque in extremâ freti orâ Suez

h Sapient. 10. 17. 18.

i Sap. 19. 7.

k Genebr. Chronic. ad an. 2239. l Diod. l. 4. c. 3. in it.

m Bernier let. tre a M. de Chaumont Eveque d'Acqs; & Moriz. Voyage du Mont Sinai l. 1. c. 4. vcr.

n Thevenot Voyage du Levant ch. 25. pag. 311. testatur sicco pede se extremam illam maris oram trajecisse. o Apud Drusum in Exod. 15. 4.

p Vide Strab. l. 16. q Diod. l. 3. c. 3. r Epist. 11.

s Bellon. Obser. l. 2. 58.

versus, deficiente eâ occasione aquâ, naves in portu subsidunt, & peditibus vadari facilis est tractus, ut à pluribus, qui ea loca petierunt, factum legimus (n). Cæterum medius alvei sinus, aquis vel maxime refluentibus, arefcit nunquam, ut Julius Scaliger (o) observat. Ex quo, inquit idem Scaliger, vir oppidè neque facilis neque credulus, colligimus sacrarum Literarum adversarios captam à Moysse estus occasionem in trajectione ejusdem freti per summam prorsus impudentiam asseruisse.

At enim Moyses, ubi in angustum fretum agitur, ad portum Suez, transfretare potuit, ejus enim ora alveus commodi amnis latitudinem non excedit (p). Diodorus Siculus [q] ad 17. stadia prorogat; Petrus della Valle [r] tantam esse inter duo littora intercedentem asserit, quanta inter pilas Neapolitanis portus & Paullipum; Bellonio verò non amplior alveus, quàm Sequanæ inter Harfleur, & Honfleur fluentis (s). Eja igitur, num captatæ æstus occasione hunc freti tractum transvadare exercitus Israelitarum unius noctis spatio potuerit, examinemus.

Ne quid autem pro contraria sententia dissimulasse videamur, adnotare operæ pretium fuerit, Hebræis iter suum circa verum equinoctium instituentibus, atque post triduum mare transvadantibus, æstum maris eâ tempestate maximum facile contigisse. Neque prætereundum, ex Aegypto die decimâquintâ mensis primi egressis, facillè nocturnum iter, lunâ micante, in medio freti alveo patuisse; si tamen, menses eo tempore ad lunæ normam dirigebantur. Quanquam, si Moysi fides, columnâ lucis iter habentibus præeunte, frustra lunæ jubar exquiratur.

Pro universâ freti hujus latitudine, quâ maximè alveus cogitur, 300. tantummodo passus assignemus; neque tamen brevem hunc tractum transvadare exercitum potuisse credimus eo temporis spatio, quod inter fluentes, refluenteque undas intercedit. Neque hic mihi iterum commemorandum cenfeo, quantum adversariorum illud de æstu maris systema relationi Mosaicæ, ipsique planè rationi repugnet, quæ quidem meliùs infra examinanda recurrent. Animadvertendum potiùs diligenter, totum hunc 300. passuum tractum, quem in æstu maris pervium iter habentibus concessimus, vix per quartam horæ partem vadum exhibere potuisse: sex enim subsequentiibus horis sensim aquæ ad litus succedunt. Porro cum primò aquæ recesserint, in unda arena iter habere arduum est, tunc maximè cum arena subsidens gressum fallit, quod de alveo Erythræi, quâ in extrema ora in arctum cogitur, Diodorus Siculus asseruisse videtur. Quare 200. vel si quis maluerit 150. passibus in maximo aquarum, recessu perviis 6. vel 8. horarum spatio assignatis, nullum credo angustiorum tractum jure quis à nobis exegerit, ut certum & rotundum calculum, augmentationibus omnibus, & immutationibus detractis, quæ in ea supputatione occurrunt frequentes, habeamus.

His ita constitutis, turba, ut minimùm, 1000000. & facillè etiam 2000000. hominum, adjectis impedimentis, gregibus, totaque gentis, aliò migrantis, supellectili, divitiis omnes Aegypti juxta Scripturâ phrasim asportantis; turba, inquam, hominum immensa, quàm fieri potuisse credimus, ut sex horarum spatio alveum 200. passibus, ut minimùm, patentem transvadarit? Neque si tractus ille mediâ sui longitudine contraheretur, ac tempus, quo totum iter confici deberet, duplo prorogaretur, facillè tanta hominum multitudo traduceretur.

Quò verò de Israelitarum numero justam concipiamus ideam, illud animadvertisse operæ pretium duximus, in censu populi post exactam à trajectione Erythræi annum ad 603550. militum capita censita fuisse (t); quibus omnibus adjiciendi sunt 22000. Levitarum unius mensis ætate majorum (u), foeminae omnes, pueri, senes grandævii, mancipia, & calorum immensa turba, tum & Aegyptii cum Hebræis egressi (x). Constat autem, ipsâ docente experientiâ, singulis virorum chiliadibus supra vigesimum ætatis annum (quæ hominum ætas ferendis armis idonea habebatur (y)) foeminarum, puerorum, & senum duplo majorem turbam respondere; ex quo, calculo exactè deducto, 600000. viri ad arma idonei, 1200000. unbellium turbam inferebant; quin & auctior multo is numerus reddebatur, tum ex polygamiâ, & connubiis, à quibus apud Hebræos nemo abstinebat, cum ex Levitis, alienigenis, & mancipiis; ut facillè quisque per se intâ ratione intelligere possit, an nos 2000000. virorum recensentes, exaggeratione aliqua usi, populi numerum plus nimidè provexerimus. Animum modò quis advertat, quàm latum agri tractum exercitus 20000. vel 50000. seu 100000. virorum occupet, eamque deinde ideam ad exercitum vigesies majorem transferat; tum quin etiam locum gregibus, carris, & impedimentis assignet; tantum reputet festinationis, tumultus, & horrores, quantum subitus & inopinatus casus meticuloso, & assueto servituti populo ingesserat; tum demum ferine unquam potuerit recogitet, ut instabilis & arenosi soli 200. circiter passus tanta populi turba 6 vel 8. horarum spatio tranaverit.

Hæc planè omnia contra opinionem de captâ æstus maris occasione fufus deducta, iis etiam repugnant, qui non transfretasse quidem Moyssem putant, sed litus tantummodo rasisse, ut ex inferiori loco ad superiora ejusdem plage contenderet. Porro tantum spatio eâ temporis periodo, quæ inter fluentes refluenteque undas intercedit, confecisse populum crediderit nemo. Quare frustra ad rei fidem adstruendam æstus maris adducitur.

Quod autem penitus systema evertit, illud est, nimirum maris Erythræi æstum notioem Israelitis, & Aegyptiis fuisse, quàm ut transitus, ea occasione captatâ à Moysse, prodigii loco à Judæis haberi potuisset. Neque Aegyptii commississent unquam,

t Num. 1. 46.

u Num. 3. 39.

x Exod. 12. 38.

y Exod. 30. 14.

quam, ut in alveum sese infinuantes, refluentibus aquis opprimendos se traderent. Poterant autem cum primùm resuantes eadem aquas animadvertissent (facile enim aquarum motus prope litus deprehenditur) ab imminente periculo se subducere. Quid, quod juxta hanc hypothefim, Hebræis noctis silentio alveum subeuntibus, cum scilicet aquæ recessissent, Egyptii adversariis insistentes, non nisi subeunte mane, aquis ferè reductis, in viam dare se debuissent? Quis, rogo, crediderit unquam, sive Egypti Regem, sive alium quempiam ex Ducibus, vel militibus ad maris regionem suam abluentis egressum nunquam animum advertisse? Ego autem ignoraverint, cum tamen absorptam jam exercitûs partem animadvertissent, quid cæteri morabantur, neque cautâ secessione salutis suæ consulabant?

Ad hæc, transfretandi Israelitis consilium pro datâ subito occasione, non præmeditato animo, acceptum fuit. Moyses enim exercitum ex Gessen ad montem Sinai deducturus, per litus ad extremam oram Maris Rubri, & ad eum ferme montem deducens, viam planè tritam, iter facere statuerat. Hanc ipse viam tenuerat, cum ex Egypto recessisset; hanc Aaron decurrit, cum regredienti fratri obviam ad montem Domini venit. Eo consilio ad Etham usque, urbem in finibus Arabiæ, processerat; neque in animum inducere unquam poterat, Egyptios, quibus urgentibus ad secessionem compulsi fuerant Israelitæ, & plura Hebræorum occasione mala subierant, recedentes illos reductum venturos. Deus tamen, cui consilia Pharaonis omnia exploratissima fuerant, flectere subito iter ad meridiem iussit, atque secundum maris litus Beelsephon, & Phihahiroi versus procederent, ne indicatâ quidem viâ mutandæ ratione, præcepit. Vix autem Beelsephon venerunt, in locum nempe montibus ad latera, & Mari in fronte clausum, neque regrediendi uspiam, neque procedendi potestatem ullam sibi reliquam esse senserunt.

Quod verò Hebræis maximè fuerat eâ occasione timendum, id illis inopinatè contigit, populo nempe in angustiis clauso Pharaonem cum exercitu superventurum. Eo vix conspecto, subitus Israelitarum animos terror invasit (z). Pharaon datam sibi occasionem & delendi populi, & relatis ex eo spoliis Egyptios ditandi secum tacitus reputabat (a). Quis porro crediderit, in eas angustias populum consultò sese immisisse? Quis ducem ipsorum eò deduxisse exercitum sibi persuaserit, spontè nullâque inductum necessitate; eò, inquam, deduxisse, unde, nisi transvadato mari, evadere unquam potuissent? Si Pharaon in turbatum subito populum copias immisisset, quid tota Moyses solertia valuisset, quid ejus consilia, captata scilicet ætatis maris traducendo populo opportunitatis, valuissent? Nec sanè spondere sibi quispiam potuisset futurum, ut Egyptii ab armis se se eâ sibi datâ occasione continuissent. Quid? Sub ipsum ne-

z Ext. 14. 10.

a Exod. 15. 19. & 14. 3.

ineuntis noctis momentum, ut suo nempe consilio faverent, recessuras aquas Moyses spondere potuit, Egyptios verò tempus permitturos, sive ut noctis favore castramoverent Hebræi, sive ut impune recederent, absque eo quoddam abeuntibus graves instarent? Si enim aliter res contigisset, in quas, rogo, angustias incauta Moyses consilia populum redigissent? Si audacter à Moyses factum id, & non nisi cogente necessitate, contendamus, cui prosper eventus fortuito casu responderit; qua demum ille fronte sibi de totius rei successu spondere, atque populo suam eâ de re fidem vadari ausus esset (b)? Pollicitus est enim Deum populo suo in Egyptios suppetias laturum, decertaturum pro illis præsentissimis miraculis, quin & adjecit mox Egyptios omnes ex eorum oculis in perpetuum fore subducendos. Porro quicumque historicum aliquod systema invehere, atque Sacrorum Scriptorum narrationem carpere audent, id saltem committere debent, ut juxta prudentiæ regulas egisse hominem solertissimum, atque gubernandi arte instructissimum demonstrant.

Neque hic demonstrare immoror, eam, quam huc usque refutavi opinionem, cum totâ Moyses narratione pugnare. Vix enim crediderim futurum, ut ejus assertores sive Mosaicæ narrationi, sive Veterum fidei eâ in re deferre aliquid velint. Illi planè Mosaico præcepto, atque prodigiôsâ virgæ nutui morigeras aquas, factò statim inter se divortio, patentem in alveo viam populo reliquisse negabunt. Sed in animum induxisset quis poterit, ingenuum hominem, & planè non rudem, qualem fuisse Moysen novimus, fabellam populo, veritatem non ignoranti, persuadere voluisse? An ne oculatis rei testibus prodigium Divinum eâ occasione obrudere potuisset unquam, vel ausus fuisset? Et si autem maris æstum ignorasse populum dixerimus; nonne postea secundum litus iter habentes, & rem totam poterant deprehendere, & Moysen malæ fidei hominem arguere; quippè qui naturalem eventum veluti prodigium ingere voluisset? Quomodo etiam 200000. virorum in animum induxissent unquam, recedentium aquarum pigrum lentumque motum & subito & promptè jussu ac precibus viri contigisse? Hæc sanè ex eo systemate spontè deducta absurda qui seridè defendere aggrediatur, neminem fore arbitror.

Post refutatas eas opiniones, quas relationi Mosaicæ contrarias censuimus, modò ad explicationem obviam, & literalem textûs Mosaici animum adjicere, atque Hebræos post mota à Rameffe castra usque ad locum transfretationis deducere optimum factum credimus.

Gessen, populo sedes, regio erat inferioris Egypti Bersabee inter & Thanim, uti ex itinere Jacob colligimus, qui Bersabee Urbe Palestinæ reliquâ, in regionem Gessen venit, unde adventus sui nuntios ad Josephum, facillè Tani inferioris Egypti Metropoli, commorantem misit. Regi Egypti parebat, cujus assensu Jacob, ejusque familia pro collatis à Josepho in-

b Exod. 14. 13. 14.

c Exod. 1. 11.

d Exod. 13. 10.

e Herod. 1. 2. cap. 75.

f Exod. 14. 2. Reversi castrametentur è regione Phihahiroi.

* Exod. 14. 9.

† Num. 33. 7. 8.

Regnum officis, sedes assignata est. Nomen Gessen, quod pluviam sonat, facillè regionis collatum est, quod à Mediterraneo non longè abesset; hæc enim loca pluvius interdum irrigantur; cum meridionales cæteræ Egypti Urbes nunquam imbribus madeant. Apud Septuaginta eo nomine regio quædam Arabica censetur.

Rameffe Urbs est Israelitarum laboribus sive condita vel saltem novis accessionibus aucta (c); eò autem omnes Hebræorum copiarum ante secessionem ex Egypto reductæ sunt. Porro Urbs illa cæteris facillè Urbibus regionis Gessen meridionalior fuerat; quanquam certus ejus situs, silentibus omnibus vetustis monumentis, ignoretur. Non longè tamen à Nilo constitutam, cui præcipuè ejusdem Regionis Urbes omnes proximè accedebant, facillè credimus. Bidui igitur itinere illam ab Erythrao removemus.

E Rameffe moventes Hebræi, regiâ viâ ex Egypto inferiori ad Sinai deducente in Socoth venerunt. Porro nomen illud Socoth Hebræicè sonat tentoria; quare non longè constitutum locum censemus ab urbe Scena Veteranorum apud Geographos.

Socoth reliquâ, Etham ascenderunt in extremis finibus solitudinis (d), in extremâ scilicet orâ deserti, Arabiam Petream, & Egyptum interjacentis, quam sanè vastissimam esse solitudinem Geographi omnes conveniunt. Hanc Urbem ipsissimam esse Bathum Herodoti (e) nullus dubito; ejus autem situm idem Historicus oculatus testis descripsit, quippè qui exuviis alatorum anguium inspicendis eò se contulerat. Septuaginta Bathum appellare consueverunt. Nos de illa supra. Vicus est ad latus Arabiæ apud Diodorum Sciculum, Antea nomine, facillè cum Etham confundendus. Ibi autem castra habentibus Israelitis, Moyses iter relegere, atque Phihahiroi tendere à Deo iussus est (f). Id verò eo consilio præceperat Deus, quod Pharaonem, ejusque clientes utile sibi Israelitarum contubernium sentientes, concessâ illis abeundi veniæ poeniterat; quare recedentes persequi viribus omnibus constituerant. Nihil tamen ea de re Deus Moysi prodidit, cum fidei ipsius & Israelitarum omnium, sicut & obedientiæ specimen exhiberi sibi constituisset.

Ventum est igitur Phihahiroi, qua est inter Magdolum, & Mare contra Beelsephon. Castra tamen eo loci non Israelitas quidem, sed Pharaonem habuisse legimus (*): Curvus Pharaonis, & omnis exercitus erant in Phihahiroi, contra Beelsephon. Alium Israelitæ locum tenebant ad Beelsephon, contra Hirot, è regione Magdoli, sive Magdali, quemadmodum ex illo intelligimus (†): Ex Etham egressi venerunt contra Phihahiroi, quæ respicit Beelsephon, & castrametati sunt Magdolum; profectique de Phihahiroi transferunt per medium mare. Quare Pharaonis castra ad Hirot, Israelitarum verò ad Beelsephon constitutum; quemadmodum & Migdol ad Septentrionem Hirot & Beelsephon collocamus; ut proinde Urbs Beelsephon hinc ha-

beret mare ad orientem, Hirot ad occidentalem piagam, & Magdolum ad septentrionalem. Quibus ita constitutis, unius tantum ex iis locis certus situs quaerendus est, ut aliorum colligamus.

Phihahiroi, sive tantum Hirot, ut in Libro Numerorum, & apud Eusebium, & S. Hieronymum appellatur, situm habet variis diversorum conjecturis incertum. In Commentario nostro sententiam quorundam adduximus, qui confundendam censent cum urbe Heroum, ad extremam oram finis Arabici, apud veteres Geographos notissimâ; quemadmodum & aliorum sententiam laudavimus, qui ipsissimam credunt cum Phagroriopolis, Metropoli regionis ejusdem nominis, & in eadem, ac superior urbs, plagâ sitâ (g). Septuaginta vertunt: (h) Et castramenti sunt ad os vicini; Syriacus Ad ostia fossa; alii Ad ostia faucium. Hanc versionem confirmant verba Pharaonis (i): Coacti sunt in terra, conclusi eos desertum. Arabs vertit: Porta Bebelab, quod facillè de Babylonè Egypti, sive Magnâ Cairo dictum est; è regione etenim ejus Urbis vasta porrigitur via ad mare Rubrum. Ex pluribus autem Itinerariis constat, ab extrema maris ora usque ad eum locum nullam patere viam exercitui deducendo, ut proinde Israelitæ facillè eo loci mare tranasse credendi sint.

Magdolum, è cujus Urbis regione posita Judæorum castra memorantur, nomen est loci non longè à Phihahiroi. Nomen illud Hebræicè sonat turris. Urbs Magdolum, sive Magdolum in Egypto celebratissima, sapienter in Sacra Scriptura memoratur; cum tamen inferioris Egypti fuisset Urbem cohsset (k), allam quaeramus Urbem cognominem oportet non longè ab Erythrao, & in extrema ejusdem maris ora ad meridiem sitam. In Itinerario Antonini urbs Magdolum 12. miliar. à Pelusio constituitur; sed nihil hæc ad nostram, quæ 7. vel 8. leucis ab Etham, ad meridiem ascendentibus occurrere debuerat. Facillè turris erat, juxta ac nominis significatione denotatur, ut proinde nulla Urbis eo loci vestigia superfint.

Beelsephon solâ Moyses relatione nota. Urbs, nihil habet sive in Scriptura, sive apud Authores prophanos, quo de ejus situ quidquam innotescat. Grotius, Rabbiorum fidem sequutus, Idolum in finibus Egypti tutandæ regionis gratiâ constitutum designari eo nomine censet. Addunt Hebræi eo loci Talismannum, sive Magicam quandam imaginem consecratam fuisse, canem ex are conflatum referentem; hujus autem canis latratu, inquirunt, Israelitarum fuga prodita fuit. Sed quæ fides Hebræorum fabellis? Nomen Beelsephon reddi potest, Deus abditus, Deus vigilans, Deus Septentrionis, Deus Oraculi? Porro Beel, & Baal nomina sunt æquè Diis omnibus utriusque sexûs communia; & Zephon, sive Zaphon omnia illa, quæ jam innuimus, commode significant. Hinc Pharaon nomen Josepho imposuit ex Zaphon, & Pa anab conflatum, sonans virum abditam quæque revelan-

g Strab. l. 17. h Facillè leguntur Hirot, Urbes, pro Hirot, fossa. i Exod. 14. 3.

k Vide Jerem. 44. 2. 14. Ezec. 39. 10.